




Index. Bd 1682.

















2448.

Q. D. B. V.

DISSERTATIO JURIDICA,

De

Fontibus eorumq;  
Juribus,

Quam

Indultu inclytæ Facultatis Juridicæ

Wittenbergensis,

SUB PRÆSIDIO

DN. GEORGII MICHAELIS  
HEBERI,

J. U. D. & Prof. Publ.


*Publicæ disquisitioni subjicit*

AUCTOR & RESPONDENS

GEORGIUS Born / Wollin. Pomeran.

*In Auditorio Actorum*

ad d. 10. Martii 1683.



WITTENBERGÆ,

APUD AUGUSTI BRÜNINGII





VIRIS

*Maximè Reverendo, Magnificis, Nobilissimis,  
Amplisf. Excellentisf. Consultisf.  
atq; Experientissimo*

DOMINIS,

DN. JOHANNI Deutschmann/  
S.S. Theol. Doctori atq; P.P. Celeberrimo,

Alumnorum Electoralium Ephoro Gravissimo, p. t.

Rectori Magnifico,

Nec non

DN. GEORGIO MICHAELI Hebern/  
J.U.D. & P.P. Merentissimo Collegiorum

Juridicorum, quæ Wittenbergæ sunt Adfessori gravissimo, atq;  
praesentis disputationis Praesidi dexterrimo,

ET

DN. PAULO Gottfried Sperling/  
Medic. utriusq; Doct. celeberrimo,

& Practico Felicissimo,

*Dominis, Patronis & Mæcenatibus suis  
omni pietatis cultu & observantiâ  
ætatem prosequendis,*

Hanc qualem qualem dissertationem Juridicam  
tanquàm Ingenii primitias

*Dicat atq; dedicat*

AUCTOR.





B. J. D.

**Q**uicquid ad commodam bea-  
tamq; Civium vitam efficien-  
dam pertinet, id sibi commissum existi-  
mare debetis, cui societatis Civilis  
cura est demandata. Bonus igitur  
Princeps, aut quivis alius, qui cum  
summo imperio in Civitate est, provi-  
debit diligenter, ne unquam desit co-  
pia eorum, quæ ad vitam degendam  
necessaria sunt, præsidiorum, utquæ  
eorum usus sartus tectus, atque ab  
omni corruptione sincerus conserve-  
tur, curabit. Id quod considerantes  
Romani Legislatores, non alienum à  
muneris sui partibus arbitrati sunt,  
de rebus, quæ vilissimæ videri pote-

A 2

rant



rant, jura condere, v. g. de Cloacis, de  
aquâ, de rivis, de Fonte. Ac de Fon-  
tibus quidem eorumq; juribus in præ-  
sens non nihil differere constitui, sive,  
quòd materia digna videbatur, in  
quâ vires ac industriam experirer  
meam, sive, quod verius est, quia id  
argumentum ad nomen, quod mihi  
est, alludere reperiebam. Veneror  
DEum immortalem, ut prosperos lar-  
giatur rei, quæ in manibus est perfi-  
ciendæ successus. A Lectore autem  
Benevolo peto, ut in judicio de hac  
Dissertatione ferendo non tam ad  
profectus meos, quos oppidò exiguos  
esse confiteor, quàm ad proficiendi vo-  
luntatem atq; conatum respicere di-  
gnetur.

CAP



De  
DEFINITIONE & DIVISIONE.

## §. I.

**A**ntiquum institutum tenere juvat, ut inter res appareant, quæ ad Grammaticam spectant, exemplo Ulpiani in *l. 1. pr. ff. & j. & j. l. 1. ff. de reb. cred. & aliorum*. Deducere autem Fontis vocabulum à fodiendo solent, eò quod hâc ratione aut quærat, aut certè conservetur. Rectius tamen fortasse à fundendo derivatur, ut Isidoro placet, quod inde aqua fundatur. Cæterum plura eò verbò continentur. Usurpatur enim (1) Mysticè, quando dicitur fons regenerationis, pro loco, ubi Christo nomen datur, i. e. pro Baptismo; fons vitæ, pro Servatore nostro; Fons verbi, pro purâ Evangelii doctrinâ; Fons misericordiæ, justitiæ & ita porro, pro Essentiâ divinâ misericordi ac justa. Quæ & similes significationes ad forum Theologicam spectant. (2.) Metaphoricè; quando fons memoriæ dicitur pro nominis propagatione. Connan, *l. 8. c. 5. n. 1.* Item, quando causam originemq; alicujus rei denotat. (3.) Pro certò aquæ genere, quam nos vernaculâ efferimus *einen Born / Brunnen oder Quellen*. Alio autem nomine appellatur scaturigo, item puteus, licet hic à fonte non nihil differre deprehendatur; uti mox dicemus. Quæ significatio est hujus loci.

§. 2. Est autem fons aqua è terrâ ebulliens ad varios vitæ humanæ usûs accommodata. Quâ definitione non saltem complector puteum, sed & fontem strictè dictum. Cum non ignorè, aliàs inter hæc duo discrimen esse hoc, ut fons in summo fit, manantibus & defluentibus aquis sine labore hauriendis, puteus autem in imò effossus,



cujus aquas educere oportet. Fab. in voce Putens. Quia autem Jurisdecisio circa utrumq; eandem servat rationem, promiscuè deinceps his vocabulis utar. Differt verò fons (1) à cisternâ, eò quod hæc non contineat aquam è terrâ ebullientem, sed imbris collectam *l. un. §. 4. ff. d. fonte* (2) à lacu; quippe qui aquam quidem continet, verùm non ibi ebullientem, sed à fluminibus immissam & refluxum non habentem. (3) à Stagno: inter stagnum enim & lacum hoc interest, quod illud interdum à sole exsicce- tur, cum lacus perpetuò duret *l. 1. §. 3. & 4. ff. ut in flum. publ. Gædd. ad l. 112. ff. d. V. S.* (4) à flumine; quippe quod demittit aquam è fonte promanantem & in itinere aliunde assumtam.

§. 3. Dividi potest fons ratione adjunctæ Qualita- tis in Communem & Admirandum: Admirandum voco, qui præter communem aquæ naturam rari quid ac admira- tione dignum fovet: ex quò, quid communis sit, facile intelligitur. Ille duplicis potest esse generis: aut enim admirandum illud, quod in se continet, vim sanandi, mor- bumve expellendi habet, ac nomine fontis salubris & Thermarum venit, quales sunt Thermæ Carolinæ & aci- dulæ Egranæ; aut alia subest abscondita & admirabilis qua- litas, qui vocari solet *ein Wunder-Brunn*. Quorsum referri potest (1) fons solis, qui situs est in nemore Jovis Ammonis in regione Cyrenaica, vel, aut alii volunt, Mar- marica; cujus aqua sub lucis ortum tepida manat, sub me- ridiem intensissimo calore fluit frigida, sole in vesperum inclinante, calefit, media nocte fervida exæstuat Curt. lib. 4. c. 7. Et hunc tetigisse putatur Ovid. lib. 15. Metam.

- - Medio tua, Corniger Ammon,

Unda die gelida est, ortuq; obituq; calefcit.

(2) Fons styx, prope Nonacrim Arcadiæ cujus aqua è Saxo  
stillat



stillat & non nisi unguam mulinam servatur; ferro enim & auro  
 contineri nequit, neque admittit, ut gustetur, sed illico gu-  
 stantem nec; dat. *Plin. lib. 2. N. Histor. c. 103.* (3) Fons  
 Singock, quem deprehendes in Insula Japan, voca-  
 turque nobis *die Helle* / cuius aqua tam calida per-  
 hibetur ut & medullam & os penetrare credatur. Inde  
 etiam istius Insulae habitatores, gens nimirum barbara,  
 Christianorum corpora hoc fonte conspersisse leguntur,  
 sufficere credentes medium hoc esse, quod eos ad Aposta-  
 siam adigat. *Fr. Caron. in descript. Regni Japan.* Et quis  
 omnes hos poterit enarrare fontes ejusmodi admirandos,  
 ex quibus Creatoris & potentia, & sapientia, plus, quam  
 dici potest, elucescit. Possunt consuli Historici de Xansis,  
 fontibus igneis, in Provincia Sinae, nec non de fonte in Pro-  
 vincia Quangsi, aliisque similibus. A Proposito enim nostro  
 alienius fore credimus si huic rei nimium inhareamus. De  
 fontibus communibus autem constat, quod alii sint aquae  
 purioris, alii magis turbidae; alii saniores, alii magis nocen-  
 tes, propter varias affectiones, quae eis insunt. Sed ne  
 hic μεταβασις εἰς ἄλλο γένος committamus, neque falcem in  
 Medicorum messem immittamus, nihil ulterius adjicie-  
 mus, consideraturi potius Fontium Jura. Sit itaque;

CAPUT II.

De  
**JURIBUS, CIRCA FONTES**  
 OCCURRENTIBUS.

§. I.

**I**N deducendis Juribus, quae circa fontes occurrere so-  
 lent, ita procedemus, ut per aliquot quaestiones rem ex-  
 pediamus. Queritur itaque; (1) quorsum sint referendi  
 fontes, utrum ad res communes, an ad Respublicas, an de-

*Queritur  
 utrum fons  
 aut pu-  
 reus per-  
 tineat ad  
 res Commu-  
 nes, an pu-  
 blicas, vel  
 niq; privatorum.*





niq; ad res privatorū? Nam antequam hæc decidantur, de  
usu eorum atq; aliis qualitatibus vix constare poterit. Enim  
vero Communes res ad omnium hominum usum sunt pro-  
ditæ. *L. 14. pr. d. A. R. D.* Publicæ in Patrimonio populi sunt,  
*d. l.* Quamvis nolim dicere, nullum plane usum ex rebus pu-  
blicis pertinere ad eos, qui non sunt e populo, ad quem res  
istæ spectant. Quis enim credat, in *J. Civ.* extero non per-  
missum esse nave vehi in flumine publ. commeari ultro  
citroq; in via publ. Nam quando dicimus, usum populo  
communē, talem intelligimus qui præter generalem usur-  
pationem Specialia in se se continet emolumenta, & sic  
verbi gratia differt navigatio à vectura, Comeatus  
ab usu viæ publicæ. Privatorum deniq; res ex arbitrio ac  
liberrima dispositione cujusvis possessoris pendent, *L. 21.  
C. Mandat.* Quod igitur attinet quæstionem nostram,  
decidenda quidem ea videbatur ex naturâ & jure flumi-  
num: constat enim quod flumen sit totum aliquod, cujus  
pars fons est s. scaturigo. Jam verò quicquid de toto ve-  
rum est, valet & regulariter de quavis ejus parte, per tritam  
Juris regul. *L. 113. 147. d. R. f. Fluminum a.*, alia sunt publica,  
alia privata, *L. 1. §. 4. de fluminibus*, ac proinde statuendum  
videbatur, ex data hypothese, fontium quoq; alios esse  
publicos, privatos alios. Licet penitus negandum non  
sit, in fundo quoq; privato ortum suum & Scaturiginem  
habere posse flumen publicum, uti de Danubio refert Joh.  
*Oettinger de jur. Limit. lib. 1. lit. 11.* Verum id l. exinde est,  
quod plurimorum fluminum scaturigines incertæ adhuc  
sunt ac dubiæ. Absolum autem esset, si talia flumina, quo-  
rum fontes adhuc dubii sunt, pro publicis eò usq; habere  
nolles, donec probaretur origo in publico exorta. *Magnif.  
Dn. D. Ziegl. in diss. d. flum. publ. §. 4.* Accedit quod & lacus,  
& stagnum & fossa inter privata aliquando, aliquando  
inter



inter publica referantur, *L. un. ut in flum. publ. navig. liceat.*  
Publica autem h. l. dicuntur, non quæ perennia sunt, aut  
fluunt uti quidam ex *L. 1. §. 3. ff. de flum.* existimant. Nam alias  
& lacus & Stagnum & fossa, publici nomen non admit-  
terent, contra *d. 1. un. & flumina privata darentur nul-*  
*la.* Nam si non essent perennia, fluminum appellatio-  
nem non mererentur, sed saltem torrentium. Hoc quidem  
certum est, quod omne flumen publ. sit perenne, quo etiam  
respexisse videntur *J. Cti in d. 1. 1. §. 3.* sed non contra, omne  
flumen perenne publicum est. Neq; hic vocamus publica,  
quæ in publicis oriuntur, *Vid. Wesenb. in Paratit. ff. de flum.*  
Contrarium enim jam ante demonstratum est, sed quæ pu-  
blicum habent usum, & ex eo talia æstimantur. *Petr.*  
*Frider. de interdictis l. 6. n. 21.* Verum his non attentis, ali-  
ter præsentem decidendam esse quæstionem, existimo.  
Nempe ante omnia distingvo inter fontis usum & Proprie-  
tatem: illum refero simpliciter ad res communes, hæc  
vero & potest esse publica, & Universitatis & privata. De  
posteriori non adeo dubitari posse, confido, *Conf. §. 2.*  
*& 6. de R. D.* Prius autem probo hac ratione; Cujuscunque  
aquæ usus consistit tantum in hauriendo, lavando, potan-  
do & pecore aquando, illius usus est communis, à quo ne-  
mo arceri poterit. *§. 1. de R. D. Bachov. ad Treutl. vol. 2. th. 1. H.*  
*Donellus lib. 4. comm. c. 2.* Jam vero de aquæ putealis usu hæc  
vix poterunt negari. Ergo. Hinc sicuti alterum de *J. Ci-*  
*vili* non possum prohibere, quo minus in meo quoq; fundo  
feras bestias, aut volucres capiat. *§. 12. de R. D.* ita non  
possum impedire, quo minus ex meo fonte hauriatur aqua.  
Impedire tamen possum ingredientem *arg. d. §. 12.* Neq; huic  
asserto obstat. *L. 1. pr. ff. de fonte,* ubi Prætor tunc demum  
utenti fonte vim fieri vetat, si ille intra annum aqua nec vi,  
nec clam, nec precario usus est; Ergo, dicas, si hoc non est,  
poterit uti jure prohiberi, Verum hoc ipsū intelligo potius

B

de



de ingressu in alienum fundum, ad hauriendam aquam, quam de ipso aqua haustu. Si enim intra annum jus dicta ratione sibi quaesivit, tunc neq; ingredi potest prohiberi, neq; arceri, quo minus fontem reficiat, ut aquam coercere, utiq; ea possit, modo non aliter utatur, atq; uti hoc anno, non vi, non clam, non precario usus est, *d. l. 1. §. 6. de font.* Et ex hoc ipso fundamento videtur Imperator noster Justinianus retulisse aquam profluentem ad res communes. §. 1. *d. R. D. flumen vero ad res publ. §. 2. eod.* cum tamen constet, quod omne flumen sit aqua profluens. Nempe quatenus est flumen, cujus usus in navigatione & piscatione consistit, est res publica, & spectat tantummodo ad certum populū, quatenus est aqua, supra dictos usus praebens, est res communis, & omnes homines admittit. *Conf. Dn. D. Ziegl. d. l. §. 5. & seqq.* Neq; est, cur dicas, Justinianum in *d. §.* loqui saltem de aqua profluente, qualis autem fons dici nequit. Nam id facit non qua aqua profluens est, sed qua dictos usus exhibet. Appellatione autē ea propterea utitur, quia talis aqua frequentior est, quam alia; à potiori autem fit decisio. Cæteroquin unius positio non est alterius exclusio. Parum itaq; faciunt in contrarium supra adductæ rationes; flumina enim omnia, lacus, Stagna, fossæ, ubicunq; & tamdiu publica dicuntur, ubi & quam diu ad usum navigationis, piscationis aut similem respicitur. Qualem autem cum fons quatenus talis vix admittit, facile comparatio, quo ad talem usum, corruet.

*Quæritur* §. 2. Quæritur (2) An quisq; in suo fundo possit  
*an quisq; pro* sibi fodere fontem? Distingvendum h. esse, puto, utrum  
*placito sibi* ejusmodi fons Vicino periculum aliquod, aut incommo-  
*possit fode-* dū afferat, ad fodientem vero nulla exinde sit perventura  
*re fontem?* utilitas, an vero profit fodienti, & non obsit vicino, utrum  
fodiat



fodiat modo, jure prohibito, an' vero licito; posteriori casu affirmo, cum quilibet, modo tertio non oblit, aut animo nocendi nil faciat, tam absolutus rerum suarum dicatur Dominus, ut etiam abutendo de iis possit disponere. *L. 21. C. Mandat.* Priori verò nego. Justus autem ille modus est, si in fodiendo puteo passus latitudo à vicino relinquatur, *L. ult. ff. sin. regund.* ne videlicet dum aquam ad certum locum cogit, vicino ulla ratione sit molestus aut aquæ venas incidat, quo minus ea in fontem vicinum pervenire possit Eodem modo Cella penuaria, nec non auri argentiq; fodina in J. Civ. à privatis fodi potest, *L. 13. §. 5. de usu fruct. L. 7. §. 10. solut. matr.* Quamvis hodiè in Imperio nostrò auri argentiq; nec non salinarum fodinæ inter Regalia numerentur, & in bonis privatorum non amplius sint, *A. B. tit. Von Gold/Silber und andern Merck wegen. lib. 1. Landr. art. 35. Carpz. p. 2. C. 53. d. 1. & 2.* Quod tamen ad lapidicinas, aut calcis fodinas extendendum non est *ibid. def. 3.* Cæterum quod nos diximus de fontibus, id ex jure Lubecens. extendit D. Mevius ad habitationes subterraneas *Wohn-Keller/* ita penitus, ut invitis vicinis de novo exstruere non liceat. *p. 3. tit. 12. art. 13. n. 7.* Sicut enim Cælum supra solum liberum esset debet, *L. 21. §. 2. quod vi aut clam,* ita & sub solo libertas impediri nequit. *Str. de ædific. priv. §. 31.* Cæterum ut ad quæst. no. tram redeam, qui dictum spatium fodiendo observaverit, & ad fundum suum meliorandum foderit, ac itaq; jure suo usus fuerit, à vicino conveniri nequit, licet fontem ejus avertat fortè (1) per *L. 1. §. 12. de aqua pluv. arcenda,* ubi talis casus in terminis deciditur (2) per *L. 21. eod.* ubi dicitur, quod is vim non faciat, qui venas aquæ in suo fundo incidit, ita, ut ob id aqua desinat pervenire ad alienū fundum, ubi erupit, dummodo servitus eo nomine nulla constituta sit ei, in cujus fundo aqua erupit. (3) per *L. 26. de damno infecto,* ubi non ab similis habetur casus. §. 3.



Quæritur  
ad quænam  
munera re-  
ferantur  
impendia  
puteorum?

§. 3. Quæritur (3) Ad quænam munera sint referenda impendia puteorum in urbibus facienda? Constat enim ex *L. ult. pr. ff. de muner.*, in triplici munera esse differentia, quorum quædam dicuntur Personalia, quædam Realia seu Patrimonialia, quædam vero mixta. Illa à Jcto in *d. L. ult. §. 1.* describuntur quidem, quod animi provisione & corporalis laboris intentione, sine aliquo gerentis detrimento, perpetrentur, interim tamen & usu vulgari talia appellantur quoq; quæ Personis sine rerū intuitu imponuntur, licet aliquando gerentis impendium requirant. Ista nihil aliud sunt, quàm rerum onera: Hæc deniq; dicuntur, quæ Personis propter res imponuntur *L. 6. §. ult. d. t.* Singula diversos habent effectus, singula peculiaria fortiuntur propria, ex quorum confusione multiplex error nascitur. *Klock. de contrib. cap. 2. num. 1.* Ad quæstionem autem quod spectat præsentem, dicendum videtur, impendia puteorum pro diverso impositionis modo ad singulas munerum species referri posse. Enim vero si ædes tale ferant onus, absq; ullo inhabitatorum respectu, munus dicendum est Patrimoniale: sin singulæ Personæ, aqua utentes, secundum capita conferre necesse habent, nulla ratione habita ad earundem res, munus erit Personale: Sin deniq; personæ faciunt impendia, sed non qua tales, verum qua certæ rei possessores, aut inhabitatores, & ideo simul respicitur ad rem, cujus intuitu quiq; possessores obligantur, munus vocabis mixtum. Et cum hujus generis onus reficiendi putei plerumq; sit (non quod alia ratione habere se nequeat) ideo pronunciatum quoq; ita esse in causa, *der Nachbarn des Brunnens in Alten Stettin / contra Michael Reutern / d. 14. April. 1656.* testatur *Mevius p. 4. decis. 128.* Inde autem assertionem illam qua fontes ac puteos §. 1. h. Cap. ad res communes retulimus

mus



mus non destrui, credimus, modo distingvatur inter eorund. usum & proprietatem. Caterum ex haecenus dictis facile dimanabit decisio, si fortè moveatur quæstio de Collatione ad fontes reficiendos, de qua agit *Frid. t. 13. n. 11.* Si enim primæva impositionis causa rebus imposuit hoc onus, intuitu earum quoq; sumptus sunt faciendi, sin Personis simpliciter, istæ conferant, licet vel nullas possideant res; sin deniq; propter res oneravit possessores, hi, quamdiu tales sunt, à collatione immuues non erunt.

§. 4. (4) Quær. Quid statuendum sit de sumptibus putei reficiendi, quos haecenus fecere vicini habitatores, quorum tamen unus ædes suas in diversas dividit habitationes, utrum tunc omnes habitatores in divisis ædibus viritim teneantur conferre, an vero respectu ædium divisarum unica ab omnibus, habitatoribus fiat collatio? Resp. Videbatur dicendum, unica vicinos contentos esse debere collatione, eo, quod ejusmodi onus referendum videatur ad munera realia, in quibus propter res, in ista vicinia exstantes, fit collatio, aut certè ad munera mixta, ubi sumptus fiunt à vicinis quidem, sed tamen propter res vicinas habitatas. Jàm vero licet diversæ fecernantur habitationes, istæ tn. non sunt principales domus, sed minora saltem & accessoria ædificia, quæ vulgo vocamus *Buden*; non immutatâ autem collationis causa immutabilis quoq; censendus videtur effectus. Accedit, quod in casibus fermè similibus eadem deprehendatur decisio, nam v. gr. dividentes inter se ædificia non tenentur singuli ad contributiones, sed conjunctim omnes partem haecenus consuetam solvunt. Imò licet prædium meum per alluvionem augeatur, inde tamen non augebitur tributum. *Str. ex. 41. th. 25. in fin.* Si autè propter augmentû onus non crescit, quomodo videtur crescere posse, re non aucta

*Quæritur  
quid sit statuendum de  
Collatione  
sumptuum  
ad puteos  
reficiendos  
divisis ædibus?*

B 3

sed



sed saltem divisa? ita & rustici dividuntibus inter se Feudum non singulis tenentur præstare servitia, sed universis *Carpz. p. 2. Const. 52. def. 7.* Sed hisce & similibus non obstantibus deciditur quod singuli habitatores ædium divisarum pro rata teneantur conferre dictos sumptus. Ratio est, quod debitum tale ex domibus tantum, seu habitationibus sit definitum, ita, ut, quæ diversam habent habitationem, diversæ quoq; censeantur hoc loco ædes. *Mævius p. 4. Dec. 129. Surd. Consil. 207. n. 12.* Id quod & convenire Consuetudini Wismariensis Civitatis, censet *Mævius d. l.* Ampliatur autem hæc sententia, ut etiam locum habeat, licet (1) usus aquæ ap. omnes esse non possit: quia hæc onerum ad quæ vicini tenentur pro communibus usibus, est ratio. *Klock: de Contr. c. 5. n. 107.* (2) licet unus vel alter usui renuntiare velit *Klock. ibid. c. 10. n. 18.* quia talis renuntiatio gravaret vicinos. Nemo autem potest consilium in alterius detrimentum mutare *L. 45. de R. L.* (3) Licet divisæ habitationes sub eisdem tecti contiguitate essent, nam quæ sunt sub eod. tecto divisa, & habitationem constituunt separatam, pro diversis ædibus habentur. *Paris. Consil. 80. n. 18.* (4) Licet adhuc dubitetur, utrum unæ an duæ sint ædes, quia in dubio duæ potius, quam unæ reputantur. *Surd. Consil. 207. n. 38.* Et certè hæc dubitatio videtur Domitiana, nam si singuli habitatores separatim in unis ædibus habitantes obligati sunt, quis dubitaverit, an illi obligati sint, de quorum habitationibus, utrum unam, an duas constituent ædes, certò non constat? Parum autem faciunt in contrarium supra adductæ rationes; nam (a) Collatio Nostra neq; pertinet ad Realia munera, cum non debeatur ex Re, sed ex vicinitate, neq; ad mixta, cum non præstetur à Personis propter res possessas, sed itidem propter vicinitatem, propter quam aqua illa ad habitantibus præ cæteris  
usui



usui est. Magis itaque accedit ad munera personalia, quia  
 debitores hoc loco considerantur ut vicini habitatores.  
 (b.) Exempla quoque à dispari accersita sunt; nam con-  
 tributiones allegatae, unice debentur propter aedificia  
 non verò collatio nostra. Quod verò praedium auctum  
 majus non admittat tributum, id vero fit propter ac-  
 cessionem inconstantem *L. 3. C. de alluvion.* Cum alias ali-  
 ter fortè dicendum esset. Tandem quod rusticorum  
 servitia concernit, notorium est, quod ea domino ad men-  
 suram quasi, & trutinam praestentur, ita penitus, ut, nisi  
 pactis & transactionibus aliud sit provisum, non nisi ad  
 aedificationem domicilii sive habitationis (*des Richters  
 Sises*) obstricti sint rustici praestare servitia, non vero  
 ad horrea, stabula, ac similia. *Ordin. Prov. anno 1555. tit.  
 von Bauführen /* verbis: *Ziel statliche Rittersize und Ge-  
 bäude in unsern Landen erbauet.* Odiosa enim haec sunt ac  
 propterea restringuntur. *vid. Carpz. p. 2. C. 52. d. 3.* Quamvis  
 hanc ordinationem recentior decisio *Elect. Sax. 33.* non  
 saltem de habitationibus velit intellectam, sed & de aliis  
 aedificiis, nisi aliud consuetudine aut pacto speciali fue-  
 rit introductum. Interim tamen permanet instantia à  
 dispari desumpta, cum dicta servitia non praestentur su-  
 pra modum debitum & consuetum, neque de loco ad  
 locum extendantur, licet feudum dividatur. *Vid. Phi-  
 lipp. ad d. const. Elect. 33. obs. 2.*

§. 5. (5.) Qu. utrum is qui ex fonte vicini habuit  
 hactenus servitutum aquaeductus fonte exarescente, eam  
 amittat, & si non statim amittat, an per praescriptionem  
 jure suo privetur, & si privetur, an non possit restitui, &  
 si potest restitui, ex quo capite, quavè ex causa hoc fiat?  
 Multas involuit hoc thema quaestiones, quas tamen o-  
 mnes sigillatim videbimus breviter. Videtur itaque  
 dicen-

Qu. quid  
 juris in ser-  
 vitute a-  
 quaeductus  
 fonte ex-  
 arescente?



dicendum, fervitum prænominatam, fonte ex-  
rescente statim perire, eò, quod omnes prædiorum ser-  
vitutes causam debeant habere perpetuam *L. 28. de servit.  
præd. urbanorum*, quæ autem talis non videtur fonte exsiccato.  
Sed totus fucus latitat in voce *perpetua*, quæ hoc loco non  
significat assiduitatem aut perennitatem quandam, quasi  
sine intermissione servitutes dictæ exercere deberent  
vel possent, uti quidem non nulli volunt; quo enim per-  
tineret servitus stillicidii, fluminis ac similes? Sed perpe-  
tua causa nihil aliud est, quàm *naturalis*, quæ naturaliter fit,  
*dicta L. 28.* vocaturque propterea perpetua, quod naturæ  
causa certa semper sit ac perpetua. Nam quod naturali-  
ter fit, videtur etiam esse perpetuum, tametsi non fiat assi-  
duè. *Gottfr. ad d. L. 28.* Concesso itaque, quod talis servitus  
statim non amittatur fonte exsiccante, videbimus, annon  
tunc expiret, si fons intra tempora præscriptionis non  
reviviscat? Et videtur iterum dicendum, quod non, cum  
præscriptio currat tantum contra desidem, & rei suæ per  
tantum temporis spatium negligentem, qualis autem ille  
non potest dici qui uti nequit. Verum negatur, quod præscri-  
ptio currat tantummodo contra negligentem, id quod vel  
unicè ex *L. 34. §. ult. junct. L. 35. ff. d. servit. prædiorum rust.*  
patet, ubi casus in terminis invenitur decisus. Hoc qui-  
dè largimur quod præscriptio principaliter & magis per-  
tineat ad desidem, cujus pœna quodammodò est, sed exin-  
de reliqui, qui casu quodam uti prohibentur, non exclu-  
duntur; unius enim positio non est alterius exclusio. Di-  
co, casu prohibentur, cum aliud statuendum sit, sic ubi; lex  
ipsa impedit usum, tunc enim præscriptio non currit  
*L. 1. §. ult. C. d. annal. except.* Postquam itaq; obtinuimus ad-  
mitti in nostro casu præscriptionem, disquirendum erit,  
annon contra eandem possit impetrari restitutio, & ex  
qua



qua causa possit? Resp. Restitutionem admitti ex dicta  
l. 35. manifestum est, sed ex qua causa quaeritur? Equidem  
si percurramus restitutionis causas, in jure nostro nomi-  
natim expressas, vix reperiemus unam, quæ casui nostro  
conveniat. Confugimus itaque ad generalem illam  
clausulam, ubi ait Prætor: *Si qua alia mihi justa causa esse videbi-  
tur, in integrum restituum, quod ejus per LL. Plebiscita, Senatus-  
Consulta, Edicta, decreta Principum licebit L. 1. in fin. ex quibus cau-  
sis maj.* Justum autem est, ut quod quis absque sua culpa ami-  
sit, recuperet *L. u. & so. de R. J.* & quod necessitas sustulit  
post necessitatem restituatur. *Petrus Royzius decis. Litun. 3.  
n. 292.*

§. 6. Qv. (6.) an fontes salubres pecunia pos-  
sint vendi, aut ad minimum ab uentibus, propter u-  
sum, pretium aliquod exigi? Resp. quod non, præ-  
terea enim, quod omnes fontes ratione usus, sint  
communes, *uti supra in §. 1. hujus cap. dictum est*, ejusmo-  
di aqua singulari providentia orta est, ac propterea  
divini quodammodo juris censenda erit. Quis au-  
tem unquam dicat, quod harum rerum usus privato-  
rum hominum dispositioni subiaceat, cum satis manife-  
stum sit, & communes res, & divini quoque juris, esse  
nullius §. 1. & *de R. D.* privati scilicet, non solum ratione  
proprietas, de & usus. Hinc sæpe numero experimur,  
quod, quamprimum ejusmodi usus aquarum venditus est,  
fons ipse è vestigio exaruerit, coelitus quasi avaritia homi-  
num & temeritate reprehensa. Dicas: hæc in sufficien-  
tia probandi argumenta sunt, partim quod (1) etiam com-  
munium fontium aqua venum detur, id quod in Gallia  
haud rarò observare est, quam tamen non minus supra  
diximus communem: partim quod (2.) Multa J. G. sint nul-  
lius, quorum tamen usus privatis hodiè quamplurimis

*Qu. an fon-  
tes salubres  
vendi pos-  
sint?*

C

in lo-



in locis est ademptus, quod videmus in feris bestiis, volu-  
cribus, piscibus, navigationibus. Quæ omnia J. G. nul-  
lius sunt, nullum tamen privatis nonnullibi relinquunt  
usum: partim quod (3.) etiam divini juris res venales nobis  
exhibeantur, quod in Cœmiteriis nostris usu venit, de qui-  
bus constat, quod divini sint juris, ac propterea nullius  
d. §. 7. & tamen nisi statutum ab Ecclesiæ antistibus sol-  
latur pretium, sepultura innibi non possit impetrari. Ve-  
rum si de hisce instantiis eò, quo decet, modo, iudices,  
facile in nostra transibis castra; Enim verò quod attinet  
venundationem aquæ ex fontibus communibus haustæ,  
quam in Gallia observari dicis, de ea habe, quod non  
tam aqua ipsa, quàm haurientium labor, è profundo  
puteo aquam protrahentium, vendatur. Cæterum si  
ipse accedere cupis ad publ. fontem, ibique aquam hau-  
rire, non prohiberis. Et nî hoc esset, tunc demum dici  
posset aqua venalis. Venationem & piscationem quod  
spectat, quæ hodiè Principes inter Regalia numerant, de iis  
quidem certum est, quod non saltem jure Gent. sed & di-  
vino hominibus cunctis sint concessa *Genes. I. 26. 28.*  
ut inde injustè prohiberi privati videri possent. At vero  
an non omnia, quæ hoc universum complectitur, ab ini-  
tio fuere communia, quæ tamen per occupationem ali-  
cujus facta sunt? Si autem privati possunt jure G. commu-  
nia per occupationem sibi propria facere, quis hoc de-  
negabit principi, in quem subditi omne suum transtule-  
re jus, tantum inde recuperaturi, quantum ipsi videbitur.  
Accedit, quòd prægnantes subsint rationes, quæ Princi-  
pes hoc in passu adjuvant; nam requirunt piscatio &  
venatio magnos sumptus, quos singuli privati vix facere  
possunt, avocant subditos, indistincte permessa, à labori-  
bus necessariis, contra commune bonum, januam aperi-  
unt



unt depraedationibus, extingvunt fermè species ferarum  
& piscium. Ergo vix dubitandum est, quin absque inju-  
rio privatis talia non sint prohibita. Et ubi scriptum est,  
quod J. G. communia debeant in communi omnium  
domino permanere? Illud certum est, quod nullius Do-  
mino ante occupationem sint subjecta dicta animalia:  
Sed poteritne ista occupatio privatis à Principe ob ratio-  
nes Civiles, publico bono conducentes, prohiberi? Ar-  
bitror. Sed nolo de his plura, cum à scopo recedere pau-  
lisper videamur. Fortè dabitur occasio ventilandi hæc  
in cathedra prolixius. Poterit hac de re videri. *Carpz. in  
Paxi Crim. p. 2. quest. 84.* qui pluribus, &, pro more, accurate  
hanc rem deducit. Hoc tantum addo, quod hæc in-  
stantia à dispari sit petita, cum nobis sermo sit de usu aquæ,  
omnibus permissio, antithesis autem tractet de rei usu  
ob causas prohibito. Tandem quod ad loca Religio-  
sa pertinet, quæ nonnunquam à nostratibus vendi,  
objecisti, dolendum equidem est, quod hoc in passu inter-  
dum minus recte procedatur, id quod Pontificii quoque  
nobis egregie objicere norunt, interim tamen excusant  
rem ita, quod nullo modo exigatur pretium loci, sed acci-  
piatur duntaxat honorarium, ad pios usus adhibendum.  
Quicquid sit, nos illud defendemus, quod justum non sit,  
denegare sepulturam, donec certum definitumque solu-  
tum sit pretium, quocunq; etiam nomine illud appellave-  
ris. Non enim facienda sunt mala, ut inde eveniant bona;  
*Conf. Carpz. d. L. Reg. Germ. cap. 8. sect. 2. n. 14. & seqq.* Eò tamen  
ipso non improbamus honorarium illud, quod intuitu se-  
pulturæ Ecclesiæ offertur, modo tanta non subsit coa-  
ctio. Igitur vides quod & hæc tertia dubitandi ratio ni-  
hil valeat, cum, quod putabas fieri, aut tale non sit aut  
certè injustum sit, nec jure approbetur. Firma itaque



adhuc nostra videtur esse thesis, quod nempe ob usum fontis salubris minus rectè exigatur pecunia. Fieri tamen quandoque potest, ut propter loci circumstantiam, cui intrantes damnum dant, exigatur quid, sed hoc in censum nostrum non venit.

CAPUT III.

De

DELICTIS IN FONTIBUS  
ET CIRCA EOS COMMISSIS.

§. I.

**S**uper est ut & de delictis, quæ circa fontes committi solent; pauca addamus. Sunt vero ea hæc ferme. (1.) insufficiens putealis ostii munitio vel circumvallatio, ex qua prætereuntes violari aut damnum incurere possint. (2.) Materialium immissio, ex qua scaturigo obturatur, aut alia ratione pristinus usus impeditur (3.) illicita venarum putealium incisio. (4.) Infantuli occisi vel occidendi injectio. (5.) Sui ipsius in puteum præcipitatio. (6.) Aquæ putealis vevenatio.

*Qu. qualem  
pœnam in-  
currant, qui  
insufficien-  
ter puteos  
muniunt?*

§. 2. Consideranda itaque ante omnia venit illa peccandi ratio, quâ quis ob insufficientem putei munitio-  
nem prætereuntibus nocere potest, aut jam nocuit. Ut autem facilius & felicius deveniamus ad delicti hujus pœnam, disquirendum semper erit, utrum subsit verum, an vero quasi delictum? Et videbatur, dicendum, latitare hic quasi delictum, propterea quod intentio nocendi tali in casu desit, quod est fundamentum quasi delicti. *pr. de Obl. quæ quasi ex delict. nasc.* Verum id indistinctè concedi posse, vix arbitror. Secerno autem casus ita; aut habet quis, ad quem putei munimentum in via pertinet, ani-



animum nocendi prætereuntibus, aut non habet. Priori casu dubio procul verum erit delictum, ac propterea pro modo damni dati poenam meretur. Animus autem nocendi non præsumitur, sed probandum est, cum nemo præsumatur malus: pro quo autem militat præsumptio, ille rejicit onus probandi in adversarium: posteriori casu subdistingvo: aut enim damnum non est datum, potuit tamen dari, aut datum re ipsa est: ibi quasi delictum est (quod sub veri delicti appellatione continetur, non secus ac quasi contractus sub vero; ut ita nihil agamus contra Rubrum hujusc.) quod ex jure Civ. multa 10. aureorum punietur arg. §. 1. de Obligat. quæ quasi ex delict. nasc. vers. cui similis est. Moribus autem nostris poenam meretur arbitrariam; hic verum latitat delictum, damnum nempe injuria (h. e. quavis culpa L. 44. de L. Aquil.) datum, quod, quia in corpus quidem, non autem corpore datum est, utili Legis Aquiliæ actione vindicatur §. 16. de L. Aquil. & quidem quoad servos & quadrupedes, quanti in diebus 30. proximis res fuerit. §. 14. eod. quoad liberum hominem vero pro modo damni dati: uti & in Praxi nostra arbitraria habebit locum poena, pro modo culpæ admittæ, cum præstatione Werigeldi, si nempe vitæ privatio subest, per Ordin. Carolin. art. 146. & Carpz. quæst. 29. n. 9. & seqq. Neque me movet, quod dejectum vel effusum per imprudentiam constituat quasi delictum, cui delictum nostrum videtur simile: Nam ratio differentiæ ea est, quod in dejecto aut effuso Dominus plerumque ob alterius culpam teneatur, aut servi aut liberi §. 1. de Oblig. quæ quasi ex delict. nasc. quod in nostro casu non est. Taceo, quod quasi delictum foveat culpam præsumptam, nostrum autem veram. Sic refertur expresse ad L. Aquil. casus, quo quis per descensum in puterum vel adscensum



ex eo culpa alterius læditur §. ult. de L. Aquil. Cœterum negari non potest & quasi delicta ad L. Aquilianam suo modo accommodari posse. L. 5. §. 4. de his qui effud. vel dejecer. Accurs. ad §. 1. de Obl. quæ quasi ex delicto nasc.

Quomodo  
puniendi,  
qui varias  
materias in  
puteos de-  
jiciunt?

§. 3. Nunc de iis quid statuendum sit videamus qui per immisionem materiaram putei scaturiginem obturant, aut certe pristinum ejus usum impediunt? Præsupponimus autem ante omnia subjecta talia quæ ex delicto obligari possunt, qualia non sunt furiosus, mente captus, L. 14. de R. J. Infans vel infantia proximus L. III. eod. ac deinde distingvimus, utrum tale quid factum sit ex petulantia, an vero animo & intentione nocendi? Utrumq; quidem pertinet ad damnû injuria datum, quod vindicatur ex tertio cap. L. Aquiliae, quippe qua parte damnum in omnibus rebus quæ anima carent, per injuriam à corpore datum inter alia vindicatur. §. 13. de L. Aq. sed pœnam ubiq; eand. non arbitror infligendam. J. n. Civil. dolus & culpa h. l. videntur eidem subjacere pœnæ, nempe quanti in diebus 30. proximis res cui damnum datum, fuerit, §. 14. eod. Moribus autem nostris arbitramur, petulantiam talem puniri ita, ut damnum inferens, rem reducere in pristinum cogatur statum, dolum autem pœnâ præterea arbitraria coerceri. Petulantiam autem hoc loc. accipio, pro quacunq; culpa, licet alias in aliis locis, modo usurpetur pro improbiore facto, modo pro contumacia, modo etiam aliter Vid. Joh. Calvin. in Lexic. ad hanc vocem.

Incisio ve-  
narum pu-  
tealium il-  
licita qua-  
lem prome-  
reat pœnam?

§. 4. Ordo nunc exigit, ut disquiramus de pœna incidentis fontis venas; equidem non omnis incisio venarum putealium punienda est, cum jam in cap. præced. §. 2. concesserim, quod quis, cujus prædium servitute affectum non est, ad suam utilitatem possit vicino per talem incisionem avertere aquam putealem, modo in fodiendo obser-



observet spatium jure definitum, Sed subaudienda est illicita incisio, qualis judicatur, quæ aut dictum spatium non relinquit, aut ad nocendum saltem alteri, absq; proprio commodo suscipitur. Quam itidem ad damnum injuria datum extertio L. Aquil. capite vindicandum, pertinere credo, ac proinde ex jure Civ. ead. accommodanda erunt, quæ in §. præced. diximus. In observantia autem practica tali in casu attenditur magnitudo damni dati, carentia futurarum utilitatum & quanti minoris res inde facta sit. Secundum quas & similes circumstantias modo major, modo minor dicitur poena, quæ propterea arbitraria dicenda. *Vid. Carpz. prax. Crim. quæst. 133.*

§. 5. Hactenus quæ in h. cap. tractavimus, ad delicta magis pertinere privata, nunc pauca etiam dicemus de publicis delictis, quæ in fontibus committi solent. Non dubitamus quidem, quin & extraordinaria hîc occurrere sint delicta, sed in iis, propter varias circumstantias, quas secum ferunt, vix quicquam certi definiri poterit *Conf. t. r. de extraord. delict.* & in casibus similibus simile feratur judicium, Hic disquiremus, qualem poenam mereantur, qui quæve infantem vel jam occisum, vel inde occidendum in puteum projiciunt? De prioribus videndum est, utrum projicientes ipsi antea jam occiderint, an ab alio occisum infantem, ad occultandum crimen injece-  
rint? Illi si parentum nomine non veniunt, sustinent poenam homicidii ordinariam, gladium nempe. §. 5. de publ. judiciis, quæ h. l. propter abjectionem in puteum non accipit augmentum, cum non debeat crescere ex post facto præteriti delicti aestimatio L. 138. §. 1. de R. J. nisi forte ob putrefactionem occisi in puteo haurientibus nocitum fuerit, quo facto, conferri posse duo hæc delicta arbitror & pro modo nocenti priori poenæ augmentum addi. Sin sunt Parentes, poena parricidii, quàm jamjam definiemus, ple-

*Quæ poenæ  
plectendi  
qui infan-  
tem in pu-  
teum deji-  
ciunt?*



plectuntur. Hi nempe qui infantem, ab alio occisum, inji-  
ciunt, si quidem ceteroquin criminis non fuere conscii,  
neq; eidem perpetrando tulere opem, arbitrariè puniun-  
tur, quia eorum adjumentum, delicto jam perfecto ac-  
cessit, uti in casu simili judicat *Carpz. quest. 86. n. 36. & seqq.*  
Si enim auxilium accessit in ipso delicto, eadem pœna  
expectanda esset quæ tenet principalem occisorem.  
*§. 6. de publ. judic.* De posterioribus, qui infantem (no-  
mino hunc præcipue, quoniam in eo delictum sapius  
quam in adulto occurrit, in quo tamen ead. est decisio)  
occidendi causa in puteum dejiciunt, si quidem parentes  
non sunt, prænominatam pœnam gladii sustinent, si tales  
sunt (quos quidè hoc loc. propter materiã odiosam stricte  
accipimus, pro Parentibus naturalibus, cum in vitrico,  
noverca ac similibus pœna jam limitetur quippe qui gla-  
dio cum raptatione ad supplicii locum, vel impositione  
in Rotam puniuntur. Non obstante *L. un. C. de his qui parent.  
vel liber. occider. §. 6. de publ. judic. L. 1. & 3. ad L. pompej. de par-  
ricid. L. 4. eod. Vid. Carpz. quest. 9. n. 63. & quest. 8. n. 29. & seqq.*  
Parricidii incurrunt pœnam, quæ modo ceteroquin nullũ  
damaum datum sit, propter circumstantiam projectionis  
in puteum, tanquam satis aspera, in J. Civ. & Praxi nostra  
non augebitur, quoniam & illi parentes, qui vivum in-  
fantem (horribile dictu!) suis devorandum objiciunt  
vel in fornacem igneam aut Cloacam projiciunt l. eun-  
dem vivum sepeliunt, aut alia quac. ratione occidunt  
graviori non afficiuntur pœna *Lun. C. de his qui par. l. liber.  
occid. Carpz. quest. 9. n. 46. & seqq.* Dico ex J. Civ. & in Praxi,  
quia haud difficulter ex J. Carolino probari poterit pœ-  
nam parricidii & in specie infanticidii, interdum per exu-  
stionem forcipibus candentibus faciendam, augeri art. 131.  
Fuit autem antiquitus huic delicto determinata pœna.  
talis



talis, ut occidens vivus aut viva defoderetur, stipite  
peracuto per corpus transfixo d. art. 131. *Vvesenb. in Paratit.*  
*J. ad L. Pompej. de parricid. n. 5.* Deinde recepta est poena *Culei.*  
*Const. Elect. Sax. 3. p. 4.* J. Civili jam antea huic crimini adscri-  
pta, d. L. un. Quamvis moribus nostris lenius aliquando  
procedi cū ejusmodi delinquentibus videamus, quā ri-  
gor juris Civilis exoptulat, cum non semper culleus ad-  
hibeatur coriaceus, sed linteus faccus, neq; ubivis in d. l.  
un. recensita, eaq; viva associantur animalia, sed loco si-  
miæ, ap. nos non exstantis, felis, & loco viperæ vivæ, quæ  
haberi nequit, picta addatur. *Vid. Carpz. quest. 8. n. 15. & seqq.*  
Et licet in foro Sax. dicta cullei poena ad intercessionem  
Aviæ, piæ memoriæ, Serenissimi Electoris moderni Saxo-  
nici in gladium ad tempus commutata fuerit, attamen  
paucis ab hinc annis per Speciale mandatum jussi sunt ju-  
dicantes, culleum reducere in usum. Cæterum ubi aquæ  
copia haberi nequit, ibi rota ejusdem supplet vices.  
*dict. Const. 3.*

§. 6. Nunc videbimus, quid cum iis agendum sit,  
qui se ipsos animo deliberato, sanaq; mente in puteum  
præcipitant, ibiq; finire vitam suapte sponte cogitant? Præ-  
suppono autem propterea animum de-  
teratum ac men-  
tem sanā, quoniam tam hebetis nemo est intellectus, quin  
intelligat, omnē casum fortuitū omnemq; mentis aliena-  
tionem delicti formalitatem excludere, quæ in animo no-  
cendi consistit, qualis tali in casu deficit. Commisera-  
tione digni potius hi sunt, quā de poena, qua sint affi-  
ciendi cogitandum. Consultò itaq; qui in seipsum sævit,  
de omni jure peccare magisq; delinquere, quā qui aliis  
violentas infert manus, nullo negotio obtinere me posse,  
spero, Enim vero qui alterum occidit, non nisi corpori  
ejus vim infert, animam illæsam relinquere necesse habet,  
D seipsum

*An & quo-  
modi puni-  
endi sint illi  
qui seipso  
præcipites  
dant in  
puteum?*



seipsum autem qui interficit, & corpus & animam in  
æternum præcipitat damnum. Neq; excusari posse arbi-  
tror, si dicas, fieri hoc aliquando graves ab causas: ut pu-  
ta, nequis cogatur delicto consentire, aut secreta ma-  
nifestare, ignominiam pati, aut aliud quid experiri. *Vid.*  
*totus tit. ff. & C. de bonis eorum, qui sibi mor. consciv.* Non  
autem sunt facienda mala, ut inde eveniant bona. Et si  
quando invitati patiamur injusta, gloriam Dei promove-  
mus, absq; ulla criminis ratione. Et inde etiam recte in  
J. Civ. quoq; *αὐτοχρησία* indistincte in omnibus hominibus  
est prohibita *L. ult. §. sic autem ff. de bonis eorum qui sibi  
mort. consciv.* Non obstante *L. 9. §. 7. de pecul. Vid. Carpz.  
quæst. 2. n. 27.* Ergo contra jura quoq; agunt, qui sese præ-  
cipites dant in puteum. Sed qua poena erunt afficiendi?  
Distingve, aut enim præcipitans vivus adhuc extra-  
hitur, fortè quod aqua non fuerit satis profunda, vel aliam  
ob causam, aut inibi, quod intendebat, Spiritum ad inferos  
dimisit: ille, si fecit saltum ob dolorum impatientiam,  
desperationem, aut alium animi morbum poena afficien-  
dus non est, sed potius misericordia dignus censendus,  
atq; per Sacerdotes eò admonendus, ut à cœpto pro-  
pter animi periculum absteineat, *L. un. §. si quis autem &c. de  
bon. eorum.* Sin præcipitem sese dedit ob avaritiam, vel æris  
alieni magnitudinem, aut similem hujus generis causam,  
arbitrio judicis prudentis puniendus erit, quoniam h. loc.  
similis decisio desumitur à casu, quo quis alteri nocuit,  
qui, nisi eum vita privavit, nunquam capite plectitur  
*Carpz. quæst. 2. n. 45.* Nam quamvis in J. Civ. extent nonnulli  
textus, qui hoc casu capitalem poenam dictitare videan-  
tur, *Vid. L. 38. §. 12. de pæn. L. 6. §. 7. de re milit.* attamen quo-  
niam saltem de militibus agunt, ap. quos major animi  
constantia esse debet ideo non nisi de iis à Cordatioribus  
intelli-



intelliguntur *Kil. Ant. Gomez. de delict. cap. 3. n. 14. Carpz. d. 1. n. 50.* De hoc, qui sc. per temerarium saltum vitam amisit, quidam puniendi modi leguntur genuini, quidam verò non genuini. Equidem pœna h. l. accipitur improprie, cum ea sit malum passivum, ob malum activum. *Beckm. diff. Pol. 15. §. 2.* Jam vero quia demortuus pati amplius nequit, etiã proprie puniri nō potest. Mallem itaq; vocare effectus *αυτοχειρίας*, quorum genuini sunt tales (1) Sepultura Canina, quæ fit per Carnifices in loco infami, *beym Galgen oder Schind-Anger* / cadaveribus testinato. *Gloss. in Landr. lib. 2. art. 31.* Quod tamen limitatur in iis, qui animi impotentiã quadam sese præcipitarunt, quippe qui sepeliendi sunt, vel certè minus solenniter. *Vid. Petr. Heig. lib. 2. q. 36. n. 74.* (2) Confiscatio bonorum, quæ tamen tunc demum locum habet, si præcipitans, jam jam ob tale delictum sit in iudicium vocatus, quod confiscationem post se trahit. *Ord. Carol. Crim. art. 135.* Rediguntur aut bona in fiscum ejus, qui Jurisdictionem Criminalem exercet, d. art. 135. Sed dicas, quænam illa sunt delicta, quæ cum publicatione bonorum sunt conjuncta? *Resp. de J. Civil. Veteri dicendum videtur, quod omne delictum capitale cum tali confiscatione sit conjunctum, quia delinquentes servi pœnæ efficiebantur, ac propterea nihil proprii habere poterant, L. 1. ff. de bon. damnat: L. 8. §. ult. qui testam. fac. possit.* Quò etiã respexisse videtur Carol. V. art. pen. verb. *oder sonst andern Fâllen* / quamvis detrahat *Carpz.* vocabulum *oder* / velitq; convenire Carolum cum nostra praxi, quam jam jam adjiciemus, quæst. 135. n. 9. Jure aut Novissimo ista pœnæ servitus est sublata, & conceditur successio, excepto læsæ Maj. crimine, usq; ad 3. gradū, non solum inter adscend. & descendentes. *N. 134. c. ult. sed & Collaterales, Arth. bona damnator. C. de bon. damnat.*



J. Elect. Sax. cessat itidem confiscatio præterquam in Crimine læsæ Majestatis *Const. Elect. 6. p. 3.* Idem disponit Jus Lübecense, p. 4. tit. 9. art. 2. ad quem Vide Mevium. Effectus minus genuini sunt (α) Carnifici facta adjudicatio eorum, quæ juxta Cadaver, è puteo extractum stans gladio undiquaque; attingere potest, nisi forte legitima consuetudine, aliud introductum probetur, uti pronunciasse Lipsienses docet *Carpz. quest. 2. n. 32.* (β) Cadaveris in exemplum aliorum suspensio, ex supra allegata causâ & quod ea ratione æq; ac textu expresso careat, uti recte in omni eo, qui se ipsum interficit contra Baldum judicat *Carpz. d. l. n. 33. seqq.* Semper enim in odiosis restringimus potius non expressa, quàm ampliamus.

Venenantes puteum  
qua pena  
sint plerumque  
stendi?

§. 7. Tandem dispiciemus, qualem ii incurrant poenam, qui malo (datur enim & bonum. *L. 236. de V. S.*) veneno puteos seu fontes dolose inficiunt? Esse hoc crimen unum ex atrocissimis, detestabilibus & execrandis, testatur Gram. consil. 36. n. 2. Plus siquidem est, veneno hominem extingvere, quàm gladio occidere *L. 1. C. de malefic.* facilius siquidem hic potest periculum prævideri & averti, quàm ibi. Ex quibus haud difficulter intelligere est, gladii poenam, homicidio alias destinatam, esse h. l. insufficientem. Sed quamam hic invenitur determinata? Resp. ea quæ aliis vaneficiis ad plures sese extendentibus convenit, quamvis & de ista non sit unanimes Dd. consensus, dum alii hanc, alii aliam huic delicto adscribunt poenam. Nos pro varietate jurium reperimus varias quoque penas, quæ sunt (1) Capitis detruncatio, ex *L. Corn. de Sicariis*: & hæc obtinet jure ff. *L. 1. pr. §. 1. L. 3. pr. ad L. Cornel. de Sicar. L. 28. §. 9. de pæn.* (2) Delinquentis crematio quàm adscribimus J. Saxonico communi, lib. 2. *Land R. art. 13. Welcher Christen Mann oder Weib ungläu-*



gläubig ist / oder mit Zauberem umgeben / oder mit  
Berggift / und der überwunden wird / die soll man  
auff einer Hörden brennen. Quamvis enim putet  
Carpzovius q. 20. n. 63. ex hoc textu evinci non posse, ve-  
nificium igne puniendum esse, cum loquatur ille de sor-  
tiligio & in cantatione, ac proinde explicat vocem dis-  
junctivam *oder* per conjunctivam *und*; attamen in proba-  
tione in sufficiens videtur. Concesso n. quod particula vel  
aliquando sit explicativa aut copulativa, id tamen semper  
ex necessitate substratae materiae est, qualis num in d. textu  
sit, non video. Et eand. poenam videtur approbare J. Elect.  
Sax. c. 18. p. 4. ubi venenans pascua, igni adjudicatur, ergo  
multo magis venenans puteos. Et hanc crematio-  
nis poenam in aliis quoq; extra Sax. terris hodiernum in-  
usu esse, arbitror; Siquidem J. Lubecense veneficis itid:  
pro modo damni dati igne adjudicat p. 4. tit. 10. art. 1. Non  
equidem me latet, quod J. Carolino venefici masculi ro-  
ta, foemellae suffocatione per aquam, utriq; tamen inter-  
dum cum augmento puniantur, art. 130. quam poenam Fori  
Sax. observantia indistincte, tam in foemellis, quam ma-  
sculis ad rotam, quandoq; cum augmento adstringit  
Carpzovius *qaest. 20. n. 22. seqq.* Licet alibi gladius inter-  
dum sufficiens judicetur. *Vid. Jus Lubec. d. art.* Atta-  
men haec observantur, ubi quis unum, aut aliquos ve-  
neno necavit, non vero ubi pascua, fontes flumina & simi-  
lia veneno miscentur *Carpz. d. loco n. 40.* Caeterum,  
utrum haec poena limitetur, ubi damnum secutum non est  
possit hic quari? Et putat. Berl. p. 4. c. 26. n. 13. quod non,  
quoniam hoc delictum inter atrocissima numeretur. Verum  
manca videtur haec ratio, cum venenatio pascuorum  
itidem referatur inter atrociora delicta, venenationem  
hominis quoq; superans *Carpz. qaest. 20. n. 40.* quae propterea  
non minus igne punitur *d. Const. Elect. 18. p. 4.* & tamen limi-  
tatur



tatur ad fustigationem usq; si damnum datum non sit.  
*d. Const. 18.* Inhæremus itaq; potius generali decisione, quod  
nullum homicidium (ratione intentionis ita appello) li-  
cet sit atrox, & conatus venerit ad actum proximum,  
ordinaria puniatur pœna, ubi effectus non est insecutus,  
nisi Lege vel statuto expresso aliud legatur. Quod quo-  
niam hoc loc. non est, meritò pœna in d. casu mitigatur.  
*Vid. Carpz. p. 4. Const. 18. d. 7.*

§. 8. Et hæc sunt, quæ exercitii ergo in præsens ven-  
tilanda proponere volui, si calculum tuum, L. B. ubi vis  
non merentur, dabis veniam ei, qui, si eidem data esset fa-  
cultas, voluntati tuæ ex asse satisfacisset. Facimus interim,  
ut quimus, si non, ut volumus, licet. *Tales enim adhuc sint  
necesse est, qui utrum eo, quo decet, modo à nobis actum sit, judicent.  
Admiror sublimiorem eruditionem, quam præbes  
imitandum.*

### SOLI DEO GLORIA!



**F**ontibus egregiis hominum quævis indiget ætas  
Ad varios usus, terra carere nequit.  
Hi citra dubium fontes sua jura requirunt,  
Jura quibus præstent commoda multa suis,  
Hæc Tibi jura placent de Fontibus, OPTIME BORNII,  
Hinc de Fontanis Furibus apta doces.

Perge tuis studiis, scrutari publica jura;  
BORNIIUS acer eris! BORNIIUS uber eris!  
*Pereximio Dn. Respondenti amoris & honoris  
causa sc.*  
JOHANNES Deutschmann / D. p. t. Acad. Rector.

**J**uris adhuc sancti numerosa volumina, BORNII,  
Versasti gnava nocte dieq; manu.  
Nunc profers fructum, cathedræ dum limina scandens  
Declinas dextrè, quæ Tibi obesse queunt.

*Ausus*



*Ausis egregios laudo. Sic currere perge!  
Perge! olim certo præmia larga feres.*

G. MICHAEL HEBER, D.

**D** Er flugen Rechte bitter Wellen  
Versüßt Sein unermüdeter Fleiß/  
Er kan gelehrter Welt vorstellen/  
Daß Er das Alt und Neue weiß.  
Die Weißheit gebe Ruhm/ das Glück holde Strahlen  
Es folge süßer Kern / auf Müß' und herben Schalen!  
Christian August Pompejus / D.

**J**uris, Amice, docet tua dissertatio fontes,  
Fontibus exque ipsis rite tuetur, eos.  
Gratulor ergo tuis ausis! Fons ipse supremus  
Annuat & studijs præmia larga ferat.  
PAULUS GOTTFRIED SPERLING, D.

**F**ons præbet nomen, præbet fons ore disertio  
Ansam dicendi: nomen & omen habes,  
Multa vales parvâ de re conscribere, doctè  
Quæ conscripsisti vera docere vales.  
Ingeniisq; tui sunt hæc insignia signa  
Fontes qui legum sedulitate studes,  
Perge velut pergis: rivi de fonte perenni,  
Qui profint Patriæ, non sine laude fluent.  
DAVID Jehring / Jurium Cultor.

**A** Dnehmlich hört sichs an/ wenn auf die bunten Wiesen/  
Bey Rosen und Dorn/  
Ein Lorlender BORN  
Die quellenden hellen Eriskallen  
Mit schallen und prallen läßt fallen;  
Doch hört man noch so gern gelehrte Worte stießen  
Von dessen Eigenschafft / Erfindung/, Art/ und Recht/  
Von dem/ das einen BORN vermehrt/ und wieder schwächt.  
Wer wolte Jhn denn nicht/ HERBORN/ erfreulich hören/  
Da Er in diesen will mit holder Anmuth lehren/  
Was BORN und BORNEN-RECHT nach seinem  
Ursprung sey.  
Ein jeder/ der Jhn hört/ trägt einen Glückwunsch bey.  
Wolffaana Daulus Steinhäuser / D. A. B.



Was ist Gelehrsamkeit bey dem der sie nicht meiner  
Zubringen an den Tag? Ein Licht das gar nicht scheinet  
Ein tieff verborgner Schatz/ den stets die Erde hegt/  
Ein Blätter-voller Baum/ der keine Früchte trägt.  
Drum scheint Er Werther nicht zuzeigen seine Schätze  
Und gute Wissenschaft der Heiligen Gesetze/  
Die Prob ist Ruhmens werth/darumb gedendet schon  
Das werthe Vaterland auf einen Danck und Lohn.  
Seinem werthen Freunde zu Ehren setze es  
Chr. Dr.

Dulcia castalidum nobis ex Fonte propinans,  
Auribus affundis Bellerophontis aquas:  
Nomine Teutonico qui Fons, de Fontibus, aures  
Delectare cupis, bella duella ciens.  
Ausibus his grator, Respondens; faxit Olympus,  
Ut Patriæ stillans dulcia Fonsqve fies.

gratul. apposuit  
MATTHIAS SELLINUS,

Ἐπιγράμματα  
Fosfores sudant montis penetrare cavernas  
Repletas aurò, quod parvò tempore durat:  
Bornius ast noster multo præstantius aurum  
Effodere ex viridi Parnasso monte laborat,  
Fus sanctum, justè totum quod dirigit orbem.  
Gratulor; utq; Deus post hac tua cœpta secundet,  
Virtutiqve suos perdulcis Patria quondam  
Digna brabæa ferat, mea mens animusqve precatur.

Præ-Eximio ac Politissimo Dn. Respondenti  
amico & Conterraneo dilectissimo hæc pau-  
cula adscripsit

JOHANNES CLARIN, Woll.Pom.  
S.S. Theol. Cult.






X2615929

Wax







Inches 1 2 3 4 5 6 7 8  
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20

B.I.G.

Farbkarte #13



2448.

Q. D. B. V.

DISSERTATIO JURIDICA,

*De*  
**Fontibus eorumq;  
Juribus,**

Quam

Indultu inclytæ Facultatis Juridicæ  
Wittenbergensis,

SUB PRÆSIDIO

DN. GEORGII MICHAELIS  
HEBERI,

J. U. D. & Prof. Publ.


*Publicæ disquisitioni subicit*

AUCTOR & RESPONDENS

GEORGIUS Born/Wollin. Pomeran.

*In Auditorio Actorum*

ad d. 10. Martii 1683.



WITTENBERGÆ,

APUD AUGUSTI BRÜNINGII.

